ſtill greater, if there be many of theſe Points, that the Error lights not upon ſuch a ſingle Article; *as in the Third Propoſition.*

IV. *Part of a Letter from* Dr. Hotton *to* Dr. Tancred Robinſon, *Concerning the late* Swammerdams *Treatiſe* de Apibus; *the* Ahmella Ceylonenſibus, *and the* Faba Sti. Ignatii.

IT A eſt, damnabat ſua ſtudia ὁ μακαρίτης *Swammerdamius* noſter; erat enim Sectæ *Antoniæ Bourignon* adictus: id verò doleo non prodiiſſe Amici hujus noſtri *Commentarium de Apibus*, omnium quæ unquam elaboravit Caſtigatiſſimum; hoc opus vernaculo Sermone ſcriptum cum Iconibus quamplurimis eò ſpectantibus plus ſemel apud eum vidiſſe me ſatis memini; at ubi jam latitat ignoro prorſus.

Nuperis Annis magnam celebritatem nacta eſt ob vim Lithontripticam quæ ipſi aſcribitur, Herba quædam à *Ceylonenſibus Ahmella* dicta. An jam uſpiam exſtet neſcio; ſed eam colui, cum verſarer in Præfecturâ *Horti Amſtelod.* Flores fundit in ſummis caulibus perſimiles *Chryſanthemo Curaſſav.' alato caule flo. Aurantiis Par. Bat.* Semen ei bidens, caules quadrati, fol. Lamii vel Urticæ (quæ ſubacria ſunt) conjugatis amicti; undè manifeſtè liquet ad Cannabinæ Genus, quod bidens vocat *Caſalpinus*, eumque ſequutus *Tournefortius*, ſpectare; neque fortè inconcinnè nuncupari poſſe *Cannabinam aut bidentem Urticæfoliam Indicam Lithontripticam.*

Noviſſimè quoque increbuit uſus *Fabæ*, quam vocant, *di Sto. Ignatio*; dicitur & *Higoſur* & Faba di St. *Nicolas* & de *Cava longa.* Semen eſt amariſſimum, quod nullam Fabæ

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

Fabæ præ ſe fert ſimilitudinem, ut ex ipſo ſemine adjecto videbis. Ad movendos ſudores & debellandos Febres præcipuum creditur; & Diarrhœæ, Dyſenteriæ, colicis doloribus, motibus convulſivis, ipſique epilepſiæ mederi, & externè admotum ſcabiei; celebratur cum primis & ejus Virtus Alexipharmaca. Provenit in *Philippinis* quas vocant, iiſque vicinis *Inſulis*. Cujus Generis ſtirps ſit ignoratur; id tantum didici ex D. *Rafaele de Roa*, Hiſpano viro egregio & erudito, qui in iis Inſulis diu vixit, convolvulaceam eſſe Plantam Arbores altiſſimas ſcandentem, fructumque ferre Mali Punici magnitudine, quo complura Semina reconduntur, ex quibus deciduis novæ Plantæ ſubnaſcuntur. Fortè erit ut ejus mentio fiat in *Hiſtoria Naturali Inſularum Molucarum*, Opere grandi & inſigni, quod ad Societatem noſtram Indicam nuper miſit ejus Auctor *Georgius Rumfius*. Hoc ſi aliquando publicetur (ut credibile eſt) materiam præbere poterit Quarto Volumini *Hiſtor. General. Plantar. D. J. Rai.*

V.